

[Natio est omnis Gallorum admodum dedita] religionibus,

atque ob eam causam,

[qui sunt adfecti] gravioribus morbis quique in proeliis
periculisque versantur,

aut pro victimis [homines immolant aut se immolaturos] vovent
administrisque ad ea sacrificia druidibus utuntur,

quod

pro vita hominis nisi hominis vita reddatur,

non posse deorum immortalium numen placari arbitrantur,

publiceque eiusdem generis habent instituta sacrificia.

Alii immani magnitudine simulacra habent,

quorum contexta viminibus membra vivis hominibus complent;

[quibus succensis] circumventi flamma exanimantur homines.

[Supplicia eorum qui in furto aut in latrocinio aut aliqua noxia
sint comprehensi] gratiora dis immortalibus esse arbitrantur;

sed,

cum eius generis copia defecit,

etiam ad innocentium supplicia descendunt.